



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XII. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

B. Petrus cor suum Divini & Mariani Amoris habitaculum esse non contentus, Deiparæ, ut à pluribus coleretur, templum ædificare constituit, néve diu de loco dubitaret, è cœlo monitus tabulam reperit aureis notis in hæc verba signatam: Ave Maria. *Nad.* Omnes amamus aliquid, cur non Matrem?

Per tuas **B.** Petre manus cor meum velut tabulam rudem Mariæ dedico, inscribat illa, quod vult in tempore, & in æternitate; ad omnia me resigno & offero, solum à peccato illud custodiat, alia omnia dulcia vel amara, læta vel tristia libens de ejus manu suscipiam. Utinam Sanctissimi sui amoris ei. leges inscribat! O Sanctissima DEI, & mea, Mater preciosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies, &c. *f. 2.*

Ad quod impetrandum: Cum hodierno **P.** Petro Anasco S. J. quoties scholam, studia, aut alia officii mei negotia adibo, illa per Deiparam in templo, vel corporaliter, vel mentaliter salutatam auspiciabor.

Tua sanè ò Sanctissima Virgo laus omnem prorsus laudem excedit; Tibi omnis creatura in cœlis, ac terris, & apud inferos reverentiam, ac cultum convenientem offert. *S. Greg. Nunc. or. 2. de Ann.*

Quæstio: An Deipara Sacramentum legis naturæ suscepit? *v. Vega Theol. Mar. pal. 20.*